



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 6. Fœminarum vituperia & vitia, in genere. Ex Veteri, Novo. Patribus, & aliis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

Angelus quoque erat; & vir dicitur. At Agar, ancillâ Abraham, ejectâ, in aquâ penuria vocat eam Angelus de cœlo. Gen. 21. 17. Matri Samsonis apparet Angelus Judic. 13. 3. Vir cum viris loquatur; at mulier tantum cum angelo de cœlo loquatur; aut cum viris brevissimè, sicut sponsa Cant. 3. 3. *num quem diligis anima mea, vidistis?* Cur non diutius loquitur? plura quærit, cum ita ceperet dilectum? Sed mox pertransit, nec responsum expectat. Sciebat, periculosum virginibus colloqui cum viris. Et cum pertransisset, invenit Dilectum. Sylveira hic q. 20.

Silentium est virtus mulierum. Clemens Alex. pædag. l. 2. c. 7.

S. Paula vidua post mortem, usque ad diem dormitionis suæ, nunquam cum ullo viro comedit; quamvis eam sanctum, & in Pontificali sciret culmine constitutum. Bolland. 26. Jan.

In Guinea fœminæ, nè loquaces sint, summo mane aquam haultam ore, etiam dum domestica obeunt officia, ad prandij usque, vel jentaculi, tempus, tenent: quam nè expuant, aut deglutiant; nec loquuntur, nec comedunt. P. Petrus Janicus S. J. Theol. rer. Judic. tomo 3. c. 44.

Num. III.

Fœminæ carveant videre, & videri.

Noli respicere post tergum. Gen. 19. 17. Quid mali in respiciendo esse potuit? nonne juvaret, ultrices flammâs intueri ad nocendam justitiam Dei? nihilominus respectus prohibetur. Ut mulieres, ait Cajetanus, non tardent in itinere. Rectè Abimelech rex Geraræ recedentibus à se Abraham, & Saræ, multa munera distribuit: viro quidem oves, & boves, & servos, & ancillas; uxori verò unum *velamen oculorum*. Gen. 20. 16. Ex Hebr. virgo interpretatur *alsonaiza*. Mendoza in 1. Reg. 1.

Thamar, honestam alioquin fœminam, cum Judas ejus focer videret *secentem in brevio itineris*, Gen. 38. 14. hoc est, in loco publico, *suspiciatus est esse meretricem*.

Cum Rebecca domui Isaac propinquaret, illamque in agro deambulantem videret, *solvens cistò pallium operuit se*. Gen. 24. 65. Cur venusta faciem abscondit matrimonio locanda? novit illa, probis maritis placere modestiam; & præ decore arridere pudicitiam. Naxera in Jol. 17. §. 11.

Erat cooperta. Dan. 13. 32. Quantum in Susanna pudor est, nè videat, nè videatur. Noverat mulier castissima, agrè sibi fuisse ex hominum oculis. Rapta ad iudices faciem velò tegit. Quia Susanna erat, Hebr. *lilium castitatis*, faciem tegit. S. Ambr. 1. Offic. c. 8. est enim in oculis verecundia; ut nec videre viros fœmina, nec videri velit. Velloso in Judith ad Lector.

☉(○)☉

§. VI.

Fœminarum vituperia, & vitia, in genere.

Ex Veteri.

Sed & serpens erat callidior cunctis animalibus - dixit ad mulierem. Gen. 3. 1. 2. Tangit serpens astutum processum in tentando, quia primò venit ad mulierem, sicut ad partem humani generis infirmiore. Non enim venit ad virum: quia vir in assumpta natura facile posset ipsum, & fraudem suam, dignoscere; sed solum ad mulierem, quæ non fuit tanta prudentiæ, quod ipsum dignosceret; nec tanta constantiæ, quod sibi resisteret. Sanct. Thomas in Gen. hic. Diabolus, quod per se non potuit per uxorem Adam protoplastum circumvenit; Adam verò per uxorem invenit interitum, quam à Deo acceperat in auxilium. Proh dolor! prospera in contraria cedunt, utilia perniciem operantur. Denique plus Adam domesticis, quam inimici, jaculis læditur; plus proprio, quam hostili, ense perimitur; plus mulieris, quam externò gladiò, vulneratur. S. Chryost. de lapsu primi hom.

In generatione bonorum. Gen. 5. nulla fœmina numeratur; quia nihil in bonis fœmineum invenitur: generatio verò malorum in fœmina terminatur; quia, quod in eis est, molle, & fœmineum est. Hugo Cardin. hic.

Itaq; Abraham de nocte consurgens &c. Gen. 22. 3. Totum se Deo permisit; & id, quod jubebatur, exequi parabat; ac nè cum uxore quidem hac de re communicavit: rectè sanè, sibi que utiliter faciens, qui fœminam non idoneam judicaret, quam in consilium adhiberet. Sanctus Gregorius Nyss. de Obed. Abrah.

Quærite mihi mulierem. 1. Reg. 28. 7. ita Saul suos allocutus, cum certò scire vellet, quænam esset alea belli futura? Non quærit virum artis iniquæ Magistram: meminit enim quod v. g. *magos, & ariolos, de terra eraserat*. Credebat tamen superesse adhuc posse matrem hujusce monstri, mulierem. Abul. hic q. 21. dixit de fœmina: quia fœminæ magis vacant istis superstitionibus, quam viri. Velloso in Judith ad Lector.

Misit, Fezabel nuntium ad Eliam dicens: hac mihi faciant dii, &c. immisit ergo Elias, & surgens abiit, &c. 3. Reg. 19. 2. Proh facinus! quanta, fuit hæc timiditas! mulieris unius audivit verbum, & aufugit quadraginta dierum itinere: idque fecit non post unum, aut alterum, aut tertium, diem; sed cum primùm mulieris sermo ad ipsum perlatus est. Quid hoc est Elia? tune ille es, qui cœlum clausisti, pluviam refranastis, ignem ex alto evocastis, Sacerdotes interfecisti, & regi Achab dixisti: tu es qui pervertis Israel. Sanct. Chryostomus tom.

tom 6. orat in SS. Petr. & Paul. Ità timuit Elias vel unicam malam foemineam.

Dixit illi uxor: adhuc tu permans in simplicitate etc. Job. 2. 9. Post damna rerum, post funera pignorum; post vulnera, scissuramque membrorum; antiquus hostis linguam movit uxoris. S. Gregorius mor. l. 3. c. 6. Omnia auferuntur, sola mulier relinquitur, antiquum diaboli organum. Scilicet sibi ipsi veculam servans; quoniam quidem sciebat, quòd per mulierem primum hominem subegerat: ideo mulierem sibi reservat quoad versutiam; ut ejusdem armis utatur. S. Chrysof. hom. 3. de patient. Job.

Ex Novo.

Misit ad eum uxor ejus. Math. 27. 19. Adit diabolus primò mulierem, quam ut plurimum novit esse proclivem, & ad patranda mala; impediendaque bona, idoneum instrumentum; cum quo morti perpetuae genus humanum affixerat. Sciebat etiam Pilatum ad illam plus debitor amore ligari: amor autem confectum exaudit, quod amatus expostulat. Et enim primum virum per foeminam in amore ligatum diabolus circumvenit. Simon Cass. l. 13. c. 8.

In parabola ovis perditæ vir. Luc. 15. 8. in drachma mulier designatur. Minus arduum fuit ovem, quam drachmam reperiri. Ovis ad primam pastoris vocem accurrit; drachma verò inter fordes decidens, luto adhæsit, aut sterquilinio immersa. Licet facilius, turpis, ac frequentius, vir in peccatum ruat; mulier tamen, licet rarius, ac periculosius, peccat: quòd pudore confusa latere malit in sordibus, quam ut culpas expiet in confessione. Adde: ovis, licet perditæ, balatu se prodere solet; drachma elinguis est. Fernandus in Gen. cap. 2. sect. 4.

Et visa sunt anse illos sicut deliramenta. Luc. 24. 11. Peritia est, non segritas, cum sensim miles veteranus incedit. Sic Adam novus citò cecidit, dum citò credidit: & dum facile dat aures ad mulieris auditum; se, suosque posteros pessimo addixit inimico. At veteranus Petrus foeminam non facile audit, foeminis nuntiantibus credit tardè; & ut veteranus deliberat, nè ut puer incurrat. S. Chrysologus l. 79.

Dicit ergo Petro ancilla ostiaria. Joan. 18. 17. Nulla est firmitas, quæ non foemineis artibus concutitur. Et bene dicitur, *ancilla ostiaria*: quia una mulier omne ostium, & omne malum; & ad omnem ruinam, aperit; & altera Apostolum ad Magistri negationem. Tertullianus de hab. foem. mulier diaboli janua. Sylveira hic. Sexus muliebris semper suspectus est: illò frequentissimè abutitur diabolus. Quantos robustissimos telis foemineis prostravit viros? quòd ab initio sæculi damnavit fraudibus mulierum? Non armatos advocavit milites, ut debellaret Apostolum. Unius muliericula: lingua Christiana militia de-

vici Ducem. Quid de membris inferioribus sperare poterat Belial, quando Ecclesie principem sic leviter superavit. Sancti Laurentius Justin. de triumph. ag. cap. 9. Non bona ostiaria, quæ Petrum idè in domum Sacerdotis includit, ut à fide Salvatoris excludat. Male Adam induxit Eva; male Petrum introduxit ancilla. Illa exclusit à paradiso; hæc exclusit à Christo. -- Et eidem in utraque officium ostiariae gerens, aut excludit à vita, aut includit ad mortem. S. Ambr. l. 45.

Docere mulieri non permisso. 1. Timoth. 2. 12. An non aliquibus egregis virginibus posset dari copia docendi? Posset omnino; sed foeminae lingua silentio speciali circa cœlestia dogmata vindicatur: quia Eva semel virum docuit, mala verborum Dei interpret. *Tulit de fructu illius etc.* Gen. 3. 6. Miror Adamum tam facile foemina offerenti pomum sese præstitisse. Cur non quaesivit, cur non objecit, nefas Conditoris præcepta prætere? Quaesivit, objecit, ex Patrum sententia; sed foemina fatiscit argumentis viri; & lingua, & verborum lenocinijs, virum allecit ad piaculum. Quæ igitur male docuit lingua delinquens, linguae refranatione puniatur. S. Chrysof. hic: semel mulier docuit, & cuncta pervertit, virumque inobedientia fecit obnoxium; idcirco ultra non doceat. Euseb. t. par. Chr. Obs. 5.

Signum magnū apparuit luna sub pedibus ejus. Apoc. 12. 1. Luna, & foemina, & inconstantia, Symbolum. Pro miraculo narratur, quòd mulier illa, id est, B. Virgo, Lunam, inconstantiam habeat sub pedibus. E Jovis capite natam Minervam, id est, Sapientiam, fingunt Veteres. Sinè matre nata Sapientia, & prudentia. Ità sanè. Adèd steriles sunt foeminae, ad sapientiam progignendam; ut nulla inventa fuerit, à qua edì posset, vel nutriri. Alvarez Joseph. illustr. illustratione 48.

Ex Patribus, & alijs.

Tu es diaboli janua; tu es arboris illius resignatrix; tu es divinae legis prima desertrix; tu imaginem Dei, hominem, tam facile elidisti. Propter tuum meritum, id est, mortem, etiam Filius Dei mori habuit. Tertullianus lib. de habitu muliebr.

Simon magus hæresim condidit, Hærenæ meretricis adjutus auxilio. Marcion Romam præmisit mulierem, quæ decipiendos sibi animos præpararet. -- Montanus immundi spiritus prædicator, multas Ecclesias per Priscam, & Maximillam nobiles, opulentas foeminas, primò aureis corrupit, deinde hæresim polluit. -- Arius, ut orbem deciperet, sororem principis antè decepit. Donatus per Africam, intelices quosque potentibus pollueret, Luciliæ opibus adjutus est. Sanctus Hieronymus adversus Pelag. & Cælestiphontem.

Ego existimo, nullam esse in hoc Mundo bestiam comparabilem mulieri mala. -- O malum summum, & acutissimum diaboli telum, mulier. S. Chrysof. hom. 15. c. 14. Vide hic plurima apud eundem.

Caro, & mulier, duplex infirmitas; & consortium vix discens dediscere voluptatem. B. Hil. debertus ep. 41.

Sicut debilia navigia procellæ, ac tempestates, dispergunt, atque inundant; sic pravi uxorum affectus virorum debiles animas corrumpunt, atque pessumdant. S. Basilius l. 2. in divit.

Quid est mulier? naufragium super terram, oculorum perniciës, animarum exitium, cordis speculum, - Sceptum inferni, - requies serpentis, diaboli consolatio, - caminus succensus; - triumphus tenebrarum, - vipera vestita, procella domus, viri naufragium, exornata mors. S. Ephrem ferm. adversi. improbas mulieres.

Nulla par fera improba, ac maledicæ, mulieri. Quid enim inter quadrupedia terribilius leone? aut inter reptilia dracone crudelius? verum nihil ad malam mulierem. Id. ibid.

Leones in laeu Daniele m veriti sunt; at Naboth Jezabel occidit: cete ventre suo Jonam servavit; Dalila vero Samsonem septem crinibus capitis ejus abstrahit tradidit alienigenis dracones, & aspidem. Joannem in eremo timuerunt; Herodias vero illum in coavivio decollavit: corvi Eliam in monte sustentarunt; at Jezabel ipsum, post beneficium pluvie acceptum, ad internecionem persecuta est. Id. ib.

O malum malorum pessimum, mala mulier! - Qui igitur uxorem improbam nactus est; intelligat, suorum se delictorum tulisse mercedem. -- Est mulier quotidiana calamitas. Id. ib.

Mulier mali causa, peccati author, via mortis, inferni janua. Ob has nascuntur lacrymis, mancipantur mercoribus, gemitibus addicuntur: & in lamentis tantum fortes sunt, quantum viribus inventiuntur infirmæ; & quantum imparatæ sunt ad labores, tantum ad lacrymas sunt paratæ. Hinc est, quod lacrymis arma vincunt, regna fleibus inclinant, lamentis totam fortitudinem virorum frangunt. S. Chryso- logus l. 79.

Mulieres sunt incendiariæ diaboli, templa DEI comburentes. S. Vincentius Ferr. l. 1. de superbia.

Sicut CHRISTUS habet suos Apostolos, sic diabolus suos. Apostoli quidem diaboli sunt vetule, & quidem interpretes, lenones, & meretricibus verba portantes. Hugo Card. in c. 1. Ex.

§. VII.

Fœmine sunt loquaces, garrulae, curiosa &c.

Cur præcepit vobis DEUS? Gen. 3. 1. Evam serpens callide aggreditur, ut non Polyant. Sacr. Tom. I.

statim provocet ad peccandum, sed loquendum. S. Chrysof. vidisti malignitatem? dixit, quod non erat, ut in colloquium provocaret. At cur diabolus loquacem volebat? Credo, quia non dubitabat illud fore multiloquium, in quo, teste Prov. 10. 19. peccatum non defuturum. Nec sua eum opinio fefellit: Nam plura respondit, quam oportuit, de fructu lignorum. Si penitus tacuisset, aut saltim respondisset, nescio; aut, quia Dominus est; aut, quia ita voluit; verius, & accommodatius, respondisset. Dum autem in plura verba se effudit, his peccavit: semel aggravando præceptum, & ne tangere- mus illud, v. 3. secundo dubitando de pena, ne forte moriamur. ib. Mendoza in 1. Reg. 9. annot. 4.

Cantemus Domino. Ex. 15. 21. Olim victoriæ à viris reportatæ à fœminis decantabantur: nam post exitum de mari rubro Maria prophetissa soror Aaron sumpsit tympanum in manu sua; & egressæ sunt omnes mulieres post eam cum tympanis, & choris, quibus illa præcinebat: Cantemus Domino. Interfecto à David Philistæo, præcinebant mulieres. 1. Reg. 18. 7. Partâ victoriâ de Assyriis, ait Psal. 67. 26. prævenierunt principes conjuncti psallentibus, in medio juvenularum tympanistrillarum. Cur potius fœminis, quam viris, ea cura tradita? Germana ratio est: quia, quantum viri pugnandi vi, tantum fœminæ fandi copiâ, præstant. Mendoza ib.

Accessit ad eum una ancilla. Matth. 26. 69. Unde hæc ancilla, præ viris, & ministris, qui Petrum in horto cum Christo viderant, eum esse JESU discipulum agnovit? Fortè etiam aliàs viderat Petrum cum JESU, & aliis Apostolis, per urbem incedentem, ac curiosè eum notarat. v. 71. vidit eum alia ancilla: forsân æque curiosa. Cornelius hic.

S. Malachias fœminam mutam loquelæ restituit. Mirum, cum CHRISTUS nulli id beneficium contulisse legatur. Ex vita S. Malachias Ep.

Multum loquaces merito nos omnes habemur. Eunomia apud Plautum in aulularia. Nec mutam profecto hodie repertam dicunt mulierem ullam in sæculo. Sed quid mirum? quod nulla mulier muta sit, cum etiam lapideum mulieris simulacrum loquax fuisse memoretur. Nam celebre illud Fortunæ simulacrum, quod Romanæ fœminæ olim dedicarunt, semel, & iterum, locutum fuisse prædit S. August. lib. 4. de Civ. cap. 19. Mendoza ib.

